



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro deuotione stabilitioneq[ue] cordis in laudibus Dei ad B. Virginem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

affici, quo faciem animæ meæ peccatorum fuligine obductam expurgares, & renouares, concede obsecro mihi gratiam tuam, ne vnquam eandem sordidis cogitationibus, impuris affectionibus, aut illicitis operibus & obscenis verbis commaculem: sed integram, omnique maculæ expertem iugiter tibi custodiam, atque in puritate, simplicitateq; cordis omne tempus meum post hac tranfigam, omnibusq; quibus cum viuo bonum conuersandi exemplum tradam, & post me relinquam.

Imprime quoque & renoua in anima mea clarissimam & splendidissimam faciem tuam, quoties contigerit me à te per carnis infirmitatem, aut aliam ob causam, auerti, ne cæcitate percussus tui ignorantiam incurram, vt hic dulci tua familiaritate priuatus, postmodum cælesti tua gloria desituar, Amen.

*Pro cordis stabilitate, & nuditate, Precatio.*

**Q**uæro te benignissime Iesu, da mihi cor stabile quod nulla à te abstrahat enagatio: da rectum, quod nulla obliquet sinistra intentio: da simplex, quod nulla distrahat curiosa cogitatio: da nudum, quod nulla occupet formarum aut rerum sensibilibus imaginatio: da castum atq; feruidum, quod indigna nulla tangat affectio.

Dulcis Iesu, da mihi cor mundum ac nouum, da mihi cor secundam cor tuum, quod tibi perfectissime ac semper placeat, quodq; semper inhabitare te delectet. Dulcis Iesu, si non vis reformare cor meum, tunc auferas à me & da mihi cor tuum, Amen.

*Pro deuotione stabilitateq; cordis in laudibus Dei ad B. Virginem Mariam, Precatio.*

**O** dignissima Dei genitrix virgo Maria, propter filij tui sanctissima vulnera, quæ animam tuam sanctissimam difsecuerunt, omniq; dolore repleuerunt, oro te humiliter, vt omnem leuitatem cordis atque instabilitatem mentis longè à me profliges, vt sancta compunctione peccata mea incessanter deplem, & ad æternam vitam mundi contemptis voluptatibus & delictis, ardentissimis desiderijs aspirem.

Impetra etiam mihi ô pia mater in omni loco & tempore: præcipuè autem in diuinis laudibus, veram cordis deuotionem, puritatem & munditiam, vt ea ad quæ ex Ordinis vel status mei obligatione teneor, deuotè, attentè & reuerenter in conspectu summæ Maiestatis filij tui persoluam, ne aliquam filio tuo aut tibi, ô reuerenda mater, irreuerentiam exhibeam, aut inimicis meis occasionem calumniandi me propter cordis vel sensuum dissolutionem, præstem, Amen.

*Pro puritate & simplicitate cordis ad eandem, Precatio.*

**O** Maris stella lucidissima, mœstorum consolatrix dulcissima, miserorum adiutrix potentissima, reorum aduocata promptissima, desperatorum spes vnica, domina mea benignissima semper virgo Maria, impetra mihi obsecro à dulci filio tuo Domino meo Iesu Christo cor simplex, rectum & mundum, cor piûm & humile, cor gemina charitate & omnigenis virtutum floribus exornatû, cor aptum & ad omnem diuinam inspirationem recipiendam, paratum, Amen.

*Pro vera ad Deum conuersione, Precatio.*

**O** Iesu suauissime, qui omnibus à te auertis compendiosam ad te reuertendi tradidisti semitam, dicens: *Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum,* & per Prophetam tuum loquutus es, dicens.

Matth. 18.

cens.